



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Paraphrasis Psalmorum Davidis Poetica**

**Buchanan, George**

**Argentorati, M. D. LXVIII.**

**VD16 B 3125**

Psal. CXL. Eripe me Domine ab homine malo, &c. Carm. gen. 6.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-69145](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-69145)

Quot uoluat æstus corpora:  
 Quamuis ocellis peruigil nunquam meis  
 Dulcem soporem indulsero.  
 O quando perdes impios rerum parens?  
 O quando sanguinarios  
 A me repelles qui scelesti nomini  
 Et numini illudunt tuo?  
 Te quisquis odit, numquid odi? non tuos  
 Hostes habebam pro hostibus?  
 Odi profectò: nec tuis ex hostibus  
 Amicus est quisquam mihi.  
 Reuolue mentis intimos sinus Deus,  
 Latebrasq; nostri pectoris,  
 Nisi hîc amorem uideris tui, nisi  
 Animum obsequi non impigrum.  
 Si par scelestis scelere sum, uitæ parem  
 Da cum scelestis exitum.

PSAL. CXL. Eripe me Domine ab homi-  
 ne malo, &c. Carm. gen. 6.

**A** Eterne rerum conditor, à malæ  
 Linguaë ueneno me bonus assere,  
 Meamq; periuri tuere  
 Hostis ab insidijs salutem,  
 Qui fraude tecta bella nefaria  
 Ciet: nec atris mitior anguibus,  
 Vibratq; linguam uirulentam, &  
 Ore uomit rabido uenenum.  
 Auerte fraudem, & me uiolentiæ  
 Hostis scelesti subtrahe, qui mea

Vesti-

Vestigia obseruat, scrobesq;  
 Obijciens, laqueosq; tendens.  
 At tu, salutis præsidium meæ,  
 Audi precantem: tu Dominus mihi  
 Deusq;, tu me liberasti  
 Incolumem crepero è duello.  
 Idem impiorum nunc bonus irrita  
 Fac uota: sæuam frange superbiam.  
 Virusq; linguæ pestilentis  
 In Domini exitium refunde.  
 Deiecta cælo flammea perfidos  
 Procella fundat præcipiti fuga,  
 Cæcosq; propellat profundas  
 Perpetui in barathri tenebras.  
 Linguæ loquacis perfida uanitas  
 Nunquam quieto deget in otio:  
 Sed impiè dignum patris  
 Exitium Domino parabit.  
 At impiorum à u Dominus suos  
 Et fraude uindex asseret: ut pij  
 Numen Dei præsens potensq;  
 Perpetuo celebrent honore.

PSAL. CXLI. Domine clamaui ad te, ex-  
 audi me, &c. Carm. gen. 3.

**A** Vrem uocanti da parens propere, meas  
 Audi preces salutifer.  
 Quum uerba fundo tristis, & puras manus  
 Attollo, sic preces meas

R v